Romana, seù Veneta Legatorum.

Eme, & Rme Dne. PRoposita hac Causa in Sacra Congregatione die 13. Ianuarij proximi præteriti rescriptum fuit =*Sine præiudicio duarum Conformium in ea parte, in qua sunt Conformes in reliquis alteri, qui ad legitimam* = Qquapropter obtenta ex solita benignitate Eminentissimi Præfecti licentia de redeundo, humiliter supplicamus prò recessu à decisis, quoad primam partem, cum patentissima sit iniustitia duarum Sententiarum exaduerso obtentarum; & annuendum speramus tam ex deductis in nostris præteritis Informationibus ex gratia reassumendis, quam ex inferius subiungendis.

Siquidem certum est, quod Franciscus Antonius Maturus possidebat hanc Domum legatam, vsquè ab anno 1677., nam sub die 2. Aprilis 1677. Monitorium coram A.C. Caprara expediuit super manutentione istius Domus, *vt præsenti Summario Numero Primo*, & proindè legatum Missarum 400. ab ipso postea ordinatum in eius Testamento condito sub die 21. eiusdem Mensis Aprilis, non potest dici quod stat demonstratiuè ad fructus Domus, sed oportet dicere, quod stat taxatiuè, adeoùt Testator aliud non legauerit, nipsi ipsam Domum, ex qua quia de tempore legati deducebatur annua pensio scut. 80.; Ideò ad illam respiciens Testator dixit, quod celebrarentur prò Anima sua Missæ annuæ 400., sed quia agnouit, & pensionem Domus posse augeri, & posse diminui, ideò tam in casu augumenti, quam in casu diminutionis voluit suam declarare voluntatem vt tot celebrarentur Missæ, quot essent fructus Domus, & proindè statim ac expressit numerum 400. Missarum statìm in eadem periodo continuando sermonem subiunxit = *lascio Messe* 400. *l'anno, ò altra quantità corrispondente al frutto dell'infrascritto stabile, con valutare le Messe à ragione di giulij due per ciascuna* = Ex quibus clarissimè demonstratur, illa verba = *Messe* 400, *l'anno* = augumentum, & diminutionem sumere ex fructibus rei legatæ, dum statìm subsequuntur illa -- *ò altra quantità*, Imò, & quod magìs est, & omnem tollit dubitationem quantitas reducitur ad speciem, dum subnectuntur verba -- *corrispondente al frutto dell'infrascritto stabile con valutarne le Messe à ragione di giulij due per ciascuna*.

Nil clariùs à Testatore dici poterat, nec à nobis aliud clariùs desiderari potest, ad effectum dijudicandi naturam legati, quod nempè sit in specie, & non in quantitate, vt plenissimè firmauimus in dictis nostris Informationibus, & in puncto respondit *Rota in magistrali decisione* 11. *de Testament. in antiquis num.* 9. ibi -- *Vel lego ex quo sunt in arca, qui certe tunc videtur taxare. Et in Recentior. decis.* 365. *num.* 38. *part.* 5. *Recent.* ibi -- *licet secus esset si eadem*

A *ora-*

oratione, & vnico verborum Contextu contineretur legatum, & vndè, & ex quibus pecunijs debeat illud solui, tùnc enim, quia solutio dicitur adiecta Causa taxationis, & limitationis, si pecuniæ illæ non reperiantur corruit legatum repetit. coràm Merlin. decis. 456. numer. 38. versicul. licet secus esset, & in recentior. decis. 651. numer. 4. par. 18.

Posito itaquè, quod Testator aliud non intellexit, nisi legare Domum, & illius fructus, consequens est, quod Iniustitia Sententiarum est indubitabilis, dum Iudices crediderunt, Testatorem ordinasse certum numerum Missarum videlices Missas 400., sed non animaduerterunt (proùt in rei veritate illis non fuit insinuatum hoc motiuum) quod nempè Testator non ordinauit hoc simpliciter, sed ordinauit illud dubitatiuè, dum statìm subiunxit, -- *ò altra quantità corrispondente al frutto dell' infrascritto stabile, con valutare le Messe à ragione di giulij due per ciascuna.*

Nam si hoc motiuum fuisset adductum, vtiquè agnouissent, quod sicutì Patres Sancti Gregorij in casu augumenti, non solum tenentur ad celebrationem Missarum 400., sed etiam ad maiorem quantitatem, computando semper ælemosinam, *à ragione di giulij due per ciascuna*, ità in casu diminutionis non tenebantur, nec tenentur, nisi ad ratam pensionis, quæ ex Domo percipitur, Computando ælemosinam ad rationem duorum Iuliorum prò qualibet.

Et proindè cum Reuerenda Fabrica Sancti Petri successerit in locum PP. Sancti Gregorij, quod non debetur Patribus S. Gregorij, non debetur Reu. Fabricæ S. Petri ad *Text. in l. 2. Cod. de pœnis cap. nemo potest de regul. Iuris in 6.*

His ergò stabilitis descendendo ad obiectum exaduersò inculcatum in præterita propositione, quod nempè non probatur, quod Patres Augustiniani Principales nostri ex Domo legata perceperint minorem pensionem annuorum scutorum 80. quia prætermisso, quod hoc est negotium clarissimum, quod nempè possessores ex Domo legata non perceperunt maiorem quantitatem, quàm illam annuorum scutorum 45. prout patet ex *præsenti Summ. Num. 2.* Occurrit responsio, quod hoc obiectum est fundamentum in supposito non supponendo, nostra præsupponitur, quod nostri Patres perceperunt pensiones istius Domus, quod est omninò à veritate alienum, nam nunquam obulum ab ista Domo percepimus, ad quem effectum supplicamus reminisci in facto, quod statim, ac fuit terminata lis in Sacro Rotæ Auditorio accepimus possessionem bonorum hæreditariorum, & statim accepta possessione nulla interposita mora, Domus ista legata, fuit tradita Patribus Sancti Gregorij, nam possessio vigore mandati Rotalis fuit capta die 7. Ianuarij 1697. vt *præsenti Summ. Num. 3.* & Domus legata fuit cessa, & assignata dictis Patribus Sancti Gregorij die 28. eiusdem

men-

mensis Iulij 1697. vt in *nostro preuerito Summario Num. 7.* sicque ab ista Domo legata nos nec minus iulium vnum percepimus, nec potuimus percipere, & propterea patet, quod præsuppositum Partis est omninò erroneum, & insubsistens.

Detecta insubsistentia huius præsuppositi facilis est responsio ad alterum obiectum partis in præterita propositione inculcatum, quod nempè à morte Testatoris vsque ad diem captæ possessionis intercessit longum spatium annorum quindecim, quasi quod pro istis annis quindecim Patres Principales nostri sint obligati ad restituendas has pensiones, quas licet non percepeint, tamen percipere potuerunt, quià nil insubsistentiùs hoc obiecto, siquidem in legato speciei hæres ad nihilum tenetur nisi ad cedendam rem, statim ac est interpellatus, adeout si res reperiatur pęnès alium, hæres à legatario requisitus debet cedere Iura, & cedendo remanet liberatus, nec aliud quærere debet, vt in terminis terminantibus respondit *Rota in dicta decis.651. par.18. tom.2. num. 6.* ibi = *Ideoque hæredes ad aliud non tenentur, quam ad cessionem Iurium, & num.9.* ibi = *Non obstat, quod interim nomen debitoris redactum sit inexigibile, & fundus remanserit cum alijs confusus, itaut modò ampliùs discerni nequeat, tum quia hoc in facto non fuit legitimè iustificatum; tùm etiam quià cum inexigibilitas prouenit absque culpa hæredum id cedere debeat in damnum ipsius legatarij, non autem hæredum, Card. de Luca de dote disc.61. ante numerum 5.* ibi= *Siquidem de Iure indubitatum est principium, quod vbi nomen, vel alia res taxatiuè in dispositionem, vel conuentionem venit, non tenetur Debitor aliud præstare, nisi rem, vel ius taxatum tale, quale sit, cuius cessatio, vel peremptio creditoris, vel recipere debentis cedit, itaut super hoc nulla cadere videtur Iuris quæstio.*

Applicàndo theoricam àd factum, quo Iure potest Pars aduersa, vel redarguere nostros Principales de mora, vel illos redarguere de negligentia, nam respectu moræ certum est, quod nulla maior poterat desiderari promptitudo, dum eadem ferè hora, qua acceperunt possessionem huius Domus tanquam hæredes, eadem hora illam cesserunt, & tradiderunt Patribus Aduersarijs, cedendo domum, & omnia Iura ad eorum fauorem, vt in *nostrò Summar. præteritæ propositionis Num.7.*

Respectu negligentiæ cogimur denuò Eminentiss. PP. replicare id, quod diximus in dicto nostro præterito restrictu, quod nempè licet Testator fuerit interfectus in Ducatu Ciuitatis Soræ de anno 1682. tamen de hac neçe, & obitu Testatoris habita non fuit notitia, nisi post quinque annos, videlicet de anno 1687. occasione Edictorum promulgatorum de ordine Signaturæ Iustitiæ, vt in *dicto nostro præterito Summario Num. 5.* de quo tempore hæc mors fuerit in Vrbe promulgata absque vlla notitia Testamenti, adeout hæredes ab intestato possessionem omnium bonorum hæreditario-

 rum

rum acceperint, & isti fuerunt R. P. D. Ciampinus bon. me. Dominicus Ciampinus, & Ioanna Drusilla Matura, inter quos hæredes ab intestato fuit de anno 1689. deuentum ad diuisionem hæreditasis,& inter alia bona assignata pro portione spectante ad dictam Ioannam Drusillam Maturam, fuit assignata hæc Domus legata, vt *præsenti Summ. Num.4.*

Sicque vsque ad annum 1689. nulla potest considerari negligentia respectu Patrum Sancti Augustini, quia non notitia Testamenti dicti Francisci Antonij, & multò minus, quod in illo erant instituti hæredes Patres Sancti Augustini Venetiarum, qui posteà à quodam Iuuene Notarij habuerunt hanc notitiam præuia solutione ingentis quantitatis pecuniarum, prout notissimum est.

Post hanc notitiam tantùm abest, quin Patres Sancti Augustini fuerunt negligentes, vt statim procurarunt bonorum hæreditariorum possessionem apprǽhendere, sed duram, & arduam Prouinciam aggressi sunt, quia cùm hæredes ab intestato iam in possessione bonorum hæreditariorum reperirentur, ad impediendam immissionem statim exceperunt, Testatorem tanquàm mente captum non habuisse factionem Testamenti, propterquam rationem, nèc minùs tempore vitæ habebat, administrationem suorum bonorum, quæ priùs de Ordine Eminentissimi Vicarij, & posteà de Ordine Signaturæ Iustitiæ fuerunt administrata per Æconomum deputatum.

Verùm quia his non obstantibus defensores Patrum inuicto animo validitatem Testamenti tutabant, tanquàm facti à Testatore habente dilucida interualla, ideò assumpta acerrima disputatione in Sacra Rota post infinitas expensas, & post plures, & reiteratas decisiones triumpharunt nostri Patres de Victoria, & vigore mandati Rotalis acceperunt possessionem bonorum hæreditariorum sub die 7.Ianuarij 1697.

Ex quibus luce meridiana clarius redditur, quod nec mora, nec negligentia potest considerari in Patribus Principalibus nostris; Immò summa vigilantia iuncta cùm infinitis expensis de proprio subministratis, quas licèt possimus dicere feliciter, & opportunè fuisse factas, tamèn negari non potest, quin maximo periculo non se subijecissent prædicti Principales, dum poterant perdere litem, ex quo omnibus erat notum, quod Testator de tempore obitus viuebat sub Æconomo, seù Administratore deputato de Ordine Signaturæ Iustitiæ.

Ex quibus omnibus agnoscent Eminentissimi PP. quòd bonum opus nos peregimus, dum litigando prò nobis litigauimus etiam prò Legatarijs, qui certè eorum legata quamuis pia consequi non potuissent, si Testamentum fuisset declaratum nullum, ex capite dementiæ, vt in hac causa dictum fuit in decisione ædita coram R. P. D. de la Tremouille, quæ est impressa intèr collectas *ad Cardinal.*

de

de Luca ad materiam de Testamentis decis. 13.*num.* 2. & 3.

Hinc non obstat, quòd de mense Decembris 1682. de quo tempore Testator fuit interfectus, vsque ad annum 1687. de quo tempore habita fuit notitia obitus, Æconomus percepit omnes fructus, quos restituere debet: quia si Reuerenda Fabrica supponit, quod Æconomus habeat in manibus fructus hæreditarios per spatium quinquennij, vtique agat contra illum, nàm nos iam ad hunc effectum cessimus eidem Fabricæ omnia Iura ad hoc, vt possit prout de Iure suas experiri actiones, nèc nos volumus litigare cum Reuer. Fabrica, nec tenemur prò illa litigare, quia ad summum ad aliud non tenemur nisi ad cessionem Iurium, quandò prout in præsenti senti agitur de relegata in specie, quæ ab alio fuit detenta, vt in puncto *Rota dicta decis.* 651.*part.*18.*num.*6. ibi = *Ideoque hæredes ad aliud non tenentur quàm ad cessionem Iurium*, & istam iam fecimus vsque ab anno 1697. vt in præterito *Summ.num.* 7., & denuò illam modò fecimus, vt ex præsenti *Summ.num.*5.

Si enim ab isto Æconomo nostri Patres aliquid percepissent, vtique posset Reu. Fabrica dicere restituas, quod accepisti, sed dum nihil percepimus, ad nihilum tenemur, & satis obligationem nostram adimpleuimus, dum etiam spontè ad redimendam vexationem cessimus nostra Iura Reuerendæ Fabricæ, quamuis ad istam cessionem, nèc minùs tenebamus, nisi postquam Reuerenda Fabrica prò illa nos interpellasset, prout prosequitur *Rota in sæpecitata decis.* 651.*num.*10.*par.*18. Aduertimus tamen Dominò exaduersò scribenti, quod iste Æconomus rationem reddidit hæredibus ab Intestato de tempore quo nulla habebatur notitia Testamenti, & ab eisdem quietantiam reportauit.

Minusque obstat, quod postquam Rota iudicauit, Testamentum substineri, vigore transactionis initæ cum DD. de Ciampinis Nos habuimus scuta 2227. quia hoc verum est, sed nihil facit ad propositum, nam si ista scuta 2227. fuissent nostris Patribus soluta prò pensionibus istius Domus legatæ, vel pro fructibus exactis ab Ecouomo de tempore quo nesciebatur Mors Testatoris, vtique benè diceret Pars Aduersa, quod dum Nobis fuerunt restituti fructus, debemus nos pariter illos restituete pro rata Domus legatæ; Sed vt sepius diximus, nil nobis fuit restitutum ratione fructuum Domus legatæ, nèc super istis fuit transactum, cum transactio facta fuit cum DD. de Ciampinis *tantùm*, quibus in dicta diuisione facta Inter cohæredes non obuenit ista Domus legata, *vt præsenti Summario dicto Num.*4., & proindè nequit Pars Aduersa Nobis obijcere hanc transactionem, cuius vigore à DD. de Ciampinis obtinuimus restitutionem frnctuum, ab ipsis perceptornm pendente lite, quia hanc restitutionem obtinuimus respectu bonorum tantùm quæ in dicta diuisione fuerunt assignata dictis Ciampinis, vt li-

quet

quet ex lectura eiusdem transactionis, quæ datur *præsenti Summario Num.* 5. nou verò respectu bonorum assignatorum Ioannæ Drusillæ Maturæ, cui in diuisione contingit hæc Domus legata, & à qua nec minus obulum exegimus, Imò supplicamus animaduertere, quod ista scuta 2227., quæ in dicta transactione fuerunt Nobis promissa non sunt ratione fructuum decusorum à die motæ litis, quia in Causam fructuum solum nobis fuerunt restituta scuta 457., sed sunt prò reintegratione cuiusdam Domus spectantis ad hæreditatem à Ciampinis alienatæ prò scutis 1770., *vt dicto præsenti Summar. Num.6.*

Cœterum nullius ponderis est replicatio, quod sicuti nos exegimus fructus à die motæ litis à DD. Ciampinis, ita debebamus exigere fructus à die motæ litis à dicta ioanna Matura, cui in diuisione facta inter cohæredes obuenit hæc Domus legata, à qua dicta Ioanna Matura semper percepit fructus vsque ad diem captæ possessionis pèr Patres Sancti Gregorij, quià vt iam prænotauimus, si Pars Aduersa hoc dìcit, ex quo præsupponit, quod nostri Patres habebant hanc obligationem recuperandi fructus rei legatæ Legatario, & certè æquiuocat, imò mirabiliter decipitur, quia Nos hanc obligationem nec habebamus, nec habemus, cum sufficiat Nobis ostendere cessisse Iura ralia qualia sunt, ad effectum, vt Reuerenda Fabrica possit agere contra dictam Ioannam Maturam, ac contra illius filias hæredes iuxtà punctualem Decisionem sæpecitatam *in dicta decis.* 651. *part.* 18. *num.* 6. *&* 10.

Si verò hoc dicit ad effectum sciendi rationem, quare nos non sumus prosecuti Causam aduersus dictam Ioannam Maturam, ac illius hæreditatem, ad effectum recuperandi non solum fructus Domus legatæ, sed fructus omnium aliorum bonorum, quos dicta Ioanna percepit durante lite, & hoc casu in obsequium huius Sacræ Congregationis nos deducimus ad notitiam Partis Aduersæ, quod ista Ioanna Matura nihil reliquit, adeout non solum habemus spem recuperandi fructus indebitè perceptos, sed quod magis est, non habemus spem recuperandi Capitale nouem locorum Montium cum dimidio, quæ in eadem diuisione fuerunt assignata dictæ Ioannæ Maturæ, *vt in præsenti Summar. d. Num.* 4. & ab ipsa pendente lite fuerunt distracta.

Et hæc est Causa, quare litem prò recuperatione fructuum, & dictorum locorum Montium alienatorum non fuimus proscquuti, quia inanem credimus actionem, quæ contra hæreditatem decoctàm dirigitur, & proindè noluimus facere expensasp prò expeditione Causæ, & solutione Regestri; & quæsò dignetur Reuerenda Fabrica Nobis sternere viam prò recuperando hoc Capitali, cum vt sæpè diximus nos iam adimpleuimus nostras Partes, cedendo Iura, quorum vigore, si Reuerenda Fabrica per medium suorum Defenso-

ſorum recuperabit iſtas penſiones decurſas tempore litis, adaperiet nobis viam recuperandi Capitale nouem Locorum Montium, & in hoc exercebit ſummum opus Pietaris fauore noſtræ Eccleſiæ, quod certè ſperamus à ſummo Zelo, ac ſollicita induſtria Dominorum Scribentium pro Reuerenda Fabrica.

Hæc Eminentiſſimi Patres ſunt illa, quæ nobis occurrunt in Cauſa, quam credimus clariſſimam, & propterea Iuremeritò à ſumma Iuſtitia huius Sacræ Congregationis ſperamus Commiſſionem Cauſæ in ſuſpenſiuo, quia quandò Sententiæ ſunt iniuſtæ, etiamſi eſſent mille ſemper concedenda eſt appellatio. Hoc vnum prò coronide adimus, quod manibus vacuis nequimus amplius litigare, ſatis enim expenſum eſt in Rota, & non modicum expendimus litigando cum Reuerenda Fabrica, vndè nè cogamur litem, & hæreditatem relinquere, ſupplicamus prò Complemento Iuſtitiæ, quod à fructibus noſtrorum Locorum Montium (qui ſub hac indebita prætenſione fuerunt Nobis ſequeſtrati) remoueatur ſequeſtrum, firmo illo remanente ſuper Capitale, quia ita indemnitati vtriuſque partis conſulitur, nec nobis auferuntur arma, cum quibus Iura noſtrorum Patrum ſemper tutabimus.

Ex his omnibus cum conſtet apertiſſimè de iniuſtitia Sententiarũ conſequens eſt, quod executio, & ſubhaſtatio facta poſt appellationem à Nobis interpoſitam, remanſit nulla, & attentata, & propterea omninò circumſcribenda, cum etiam in Cauſis, in quibus non datur appellatio de ſui natura intrat vitium attentati, quandò detegitur iniuſtitia Sententiarum, quarum vigore fuit proceſſum ad ſubhaſtationem, vt in terminis reſponſum fuit *in Ariminen. Bonorum coram Bubalo apud Marcheſ. de Commiſſ. par.* 1. *fol. mihi* 1034. *num.* 1. ibi - *mouebantur quia, quamuis dicta Sententia ſit lata in mero poſſeſſorio, quæ vigore Egidianæ non recipit appellationem, nihilominus cum conſtet de illius notoria Iniuſtitia non poterat procedi ad illius executionem ſtante appellatione Comitis Eneæ, & conſequenter poſſeſſio fuit atttentata*, cum alijs *in Interamnen. Fideicommiſſi prima Decembris* 1690. *coram Reuerendiſſimo Decano* §. *Et ſtatim ad merita Cauſæ*.

Quod autem ſubhaſtatio, ſeù executio fuit facta poſt interpoſitam à Nobis appellationem liquet ex noſtro *Summario præteriti Reſtrictus Num.* 10. *&* 11.

Quare &c.

Franciſcus de Roggerijs Aduoc.
Marius Caliſtus.

SACRA

CONGREGATIONE

Reu. Fabricæ

S. PETRI

Romana, ſeù Veneta

Legatorum

PRO

Ven. Conuentu, & RR. PP. S.Stephani Ord. S. Auguſtini Venetiarum.

CONTRA

Reu. Fabricam S. Petri.

Secundus Reſtrictus Facti, & Juris.

Romæ, Typis R.Cam.Apoſt. 1706

Superiorum permiſſu.